

§. LV.

Et abrogandi leges ecclesiasticas.

Restrictior est ejus in abrogandis legibus auctoritas. Naturalium enim vis immobilis est (1). Nec quæ à Deo revelatæ sunt, novi testamenti leges ulla vi humana tolli possunt (§. LI.) Itaque humanæ relinquuntur, et ab Ecclesia ipsa profectæ leges, quas ex causa etiam abrogari interdum nihil vetat. *Quis nesciat*, ait *Augustinus* (2), *ipsa concilia, quæ per singulas regiones vel provincias sunt, plenariorum conciliorum auctoritati cedere, ipsaque plenaria sæpe priora posterioribus emendari, quum aliquo experimento rerum aperitur, quod clausum erat?* Verum hac tamen moderatione Ecclesia christiana Pastores suos uti semper voluit, ut conservata statutis *Patrum* reverentia tot sæculorum felici usu roborata, canonibus tam antiquandis quam condendis temperate indulgerent. Neglecta vel obruta potius veteris disciplinæ memoria, et novarum legum jam ipsa sibi pridem gravis moles quantum in Ecclesiam incommodi, detrimenti in res publicas invexerit, ignorare, nisi qui volet, nemo potest.

SCHOL. Conf. Van-Espen *in dissert. de vet. canon. stabilit. et usu.* Et auctor libelli, cui titulus: *Jura Ecclesiastica à Sacris Scripturis deducta.* Aug. Vindel. ann. 1773. 8.

(1) *Lactant. div. Inst. lib. 6. cap. 8.*

(2) *Lib. 2. de Bapt. cap. 3.*

CAPUT V.

DE POTESTATE ECCLESIAE
JUDICIARIA.

§. LVI.

*Quid sit potestas Ecclesiae judiciaria?
seu jurisdictio in specie?*

Pars illa sacrae potestatis, quæ in cognoscendis causis Ecclesiae definiendisque exercetur, *jurisdictio ecclesiastica* in specie vocatur, facultatemque indicat *jus dicendi in negotiis ecclesiasticæ potestati subjectis.* Dicitur autem *civilis*, quum in tribuendo singulis jure proprio versatur; *coercitiva*, dum poenas sumit de iis, quæ adversus leges ecclesiasticas temere admissa sunt. De hac proximo capite.

SCHOL. Vocabulum *jurisdictionis* ambiguum est. *Jurisdictionem* ab imperio distinguunt Romani juris interpretes, de quo discrimine Noodt et Averanius fortasse accuratissime exposuerunt. Nostro jure jurisdictionis nomine interdum potestas Ecclesiae universa intelligitur: alias eam dumtaxat partem indicat, quæ in jure dicundo versatur: quo sensu in *cap. 16. de offic. judic. ord.* accipi evidens est, dum *jurisdictio causarum omnium ad forum ecclesiasticum de jure spectantium cum censuris ecclesiasticis à ceteris Episcopatus juribus aperte secernitur: et in cap. 18. eod. causarum examinatio et decisio, atque emendæ, seu multæ ad legem jurisdictionis pertinere dicuntur, quam ætas recentior à lege diœcesana separavit.* Conf. Bohmer *in jur. eccles. Protest. tit. 31. §. 11. seqq.* Gasp. Barthel. *de jure reformat. antiq. tom. 1. pag. 134.* Neller *in diatrib. inaugur. de jur. diœcesan. Mogunt. 1751.*

§. LVII.

Eam Ecclesie competere probatur.

Juris vero dicendi facultas competatne Ecclesie christianae, et quo jure competat, aut difficile conjectu est. Nam quum naturali quadam ratione potestati ecclesiasticae insit (1), removeri illa ab Ecclesia non magis potest quam potestas ipsa, ad quam refertur. (§. XXXII.) Sed nec alia ejus origo quam hujus censenda est (§. XXXIII.), divina scilicet è jure clavium repetenda, quas Ecclesie suae impertitus est divinus fundator. Huc enim respexisse Christum arbitror apud Matthaeum (2), quando Ecclesie jussit denuntiari refractarios, ut quos privatae et familiares fratrum cohortationes minime flecterent, auctoritas illius ad saniolem mentem compelleret et æqui juris observantiam. Et vero, nisi hanc demus christianae societati tributam à Domino potestatem, quo jure Paulus oratione tam acerba Corinthios sua in communione retinentes incestuosum hominem neglectae disciplinae reos arguebat, seque de illo, etsi absentem, jam tulisse judicium ajebat, ut qui sic operatus esset, traderetur satanae in interitum carnis? (3) Idem Paulus, dum monet Timotheum, ne adversus Presbyterum accusationem reciperet nisi sub duobus tribusque testibus, dum hortatur Titum, ut quae deesse in Ecclesia sibi commissa judicaret, pro arbitrato suo corrigeret: nonne hanc potestatem divinitus tributam Episcopis probat apertissime? (§. XXII.) Ut taceam litem Antiochenos inter fideles natam, quam Apostoli ipsi cognitam synodali definitione Hierosolymis composuerunt. (§. XLVII.)

(1) Fixmill. Exercit. 2. sect. 14. §. 44.

(2) Cap. XVIII. 15. 16. 17.

(3) I. Corinth. V. 3. 4.

SCHOL. Bohmerus quidem in dissert. 3. ad Plin. §. 71. nihil exemplo huic inesse momenti putat, ut judiciorum ecclesiasticorum consuetudinem ex praxi apostolica derivare liceat. Is sententiam synodi pro laudo, ut juris consultorum verbo utar, habet, censetque Antiochenos per modum compromissi causam hanc controversam decisioni Apostolorum et matricis ecclesiae submississe. Apparet vero plura hic à doctissimo viro sumpta esse, quam ut fide ejus probare possimus. Primum enim Antiochenos controversiam non Apostolorum tantum, verum totius etiam ecclesiae Hierosolymitanæ judicio subjecisse statuit, quod est aperte contrarium iis, quae Lucas cap. XV. 2. memoriae prodidit. Deinde quis hoc putet ferendum, quod fateri omnino cogimur, hanc si placet interpretationem sequi, Apostolos in hac dirimenda controversia non fuisse nisi honorarios ex consensione disceptantium electos arbitros? Erant illi divinitus creati judices ejusmodi controversiarum de Religione: neque liberum idcirco Antiochenis erat, utrum ad eos litem suam deferre vellent, nec ne? verum jus ipsum divinum jubebat eos ad Apostolorum tribunal accedere: ut Moshemius verissime docet de reb. christ. ante Constant. M. sæc. I. §. 56. Ipsa denique Hierosolymitani decreti verba, Visum est Spiritui Sancto et nobis, satis, opinor, indicant, sententiam ab Apostolis pronuntiatam fuisse judicis auctoritate præditi, non honorarii et pro arbitrio adsciti sententiam.

§. LVIII.

Etiam in usu.

Quam hoc primum exemplo habendorum judiciorum formam quasi consecrabant Apostoli, eam retinuit diu apostolici moris tenacissima Patrum religio. Non desunt nec ex prima quidem ætate hujus generis conventuum

judiciorumque celebratorum vestigia à *Tertulliano*, *Cypriano*, *Eusebio* litteris consignata traditaque memoriae posterorum, rariora licet et interdum suboscuro. Nec enim dissimulaverim, caute admodum et temperate Christianorum Præsules jure suo iis precipue temporibus usos fuisse. Suadebat eam moderationem ipsa temporum ratio, ne in suspicionem venirent usurpatæ potestatis non suæ, quam vitare prudentiæ fuit in tanta gentiliū criminandi persequendique et licentiæ et libidine. At vix hæc silere jussa est, suæque reddita libertati Ecclesiæ, quum sua illico divinitus tradita jura explicare apertius majoreque cum fiducia cœpit: quæ tantum abest ut religiosi *Principes* ad se revocarent, majestatemque suam iis exercendis lædi quererentur, ut editis etiam constitutionibus Ecclesiæ adjudicarent, non conferentes illi quam non habebat potestatem, sed quam divino jure habebat, et agnoscentes, et pro ea qua pollebant suprema auctoritate confirmantes.

SCHOL. Huc refero illa Constantini dicta magnifice in concilio Nicæno, quæ *Ruffinus lib. 1. cap. 2.* descripsit: *Quum resedisset, suscepit à singulis libellos, quos simul omnes in sinu suo continens, nec in eis quid contineretur, aperiens ait ad Episcopos: Deus vos constituit Sacerdotes, et potestatem vobis dedit de nobis quoque judicandi, et ideo nos à vobis recte judicamur. Vos autem non potestis ab hominibus judicari: propter quod Dei solius inter vos exspectate judicium, et vestra jurgia, quæcumque sunt, ad illud divinum reserventur examen.* Abutuntur hoc quidem loco certe, qui eum hoc consilio proferunt, ut quam ea ætas nondum novit, Episcoporum in temporalibus causis divinitus concessam immunitatem persuadeant: sed probandæ Episcoporum jurisdictioni sacræ peridoneus est, præcipue quum ei adstipulentur constitutiones Imperatorum non paucæ: veluti *Valentiniani et Gratiani leg. 23. Cod. Theod. de Episc. Honorii et Theodosii leg. 41. Cod. Theod. de*

Episc. Arcadii et Honorii leg. 1. Cod. Theodos. de relig. Valentiniani, Theodosii et Arcadii leg. 3. tit. 12. ad calc. Cod. Theod. Justiniani Novell. 83. cap. 1.

§. LIX.

Et Imperatorum confessione.

Hujus juris adeo sibi conscii fuerunt Ecclesiæ christianæ Antistites, ut, dum patientes doctrinæ severioris Principes nacti essent, nihil revererentur vel admonere, vel etiam reprehendere, si quando pravis suorum consiliis huc se adduci passi sunt, ut rebus se ac negotiis religiosis contra, quam fas erat, ingererent. *Desine, queso te*, ajebat *Osius Constantio Imperatori, et memento, te mortalem hominem esse: time judicii diem, teque ipsum innoxium ad eam diem custodias. Ne te rebus misceas ecclesiasticis, nec nobis his de rebus præcipe, sed à nobis potius disce. Tibi Deus imperium commisit, nobis, quæ sunt Ecclesiæ, concredidit (§. XLV.).* Et *Ambrosius* in epistola ad *Valentinianum Jun. (1)* *At certe si vel Scripturarum seriem divinarum, vel vetera tempora retractemus, quis est qui abnuat in causa fidei, in causa, inquam, fidei Episcopos solere de Imperatoribus Christianis, non Imperatores de Episcopis judicare? Eris, Deo favente, etiam senectutis maturitate provector, et tunc de hoc censebis, qualis ille Episcopus sit, qui laicis jus sacerdotale substernit. Cujus juris non ignarus Theodosius Jun. in litteris ad concilium Ephesinum (2): Igitur Candidianum, inquit, præclarissimum sacrorum domesticorum Comitum ad sacram vestram synodum abire jussimus, sed ea lege et conditione, ut cum quæstionibus et controversiis, quæ circa fidei dogmata incidunt, nihil quidquam commune*

(1) *Epist. 21. n. 4. 5.*(2) *Tom. 1. Concil. Hard. pag 1346.*

habeat: nefas est enim, qui sanctissimorum Episcoporum catalogo adscriptus non est, illum ecclesiasticis negotiis et consultationibus sese immiscere. Similiter Valentinianum Imp. quum ad synodum indicendam sollicitatus esset ab Episcopis orientis, quo fides de consubstantialitate, quam pene labefactabit Constantius, restauraretur, præclarum hoc responsum dedisse Sozomenus testatur (1): *Sibi, qui unus è laicorum numero erat, non licere se ejusmodi negotiis interponere. Et ideo Sacerdotes et Episcopi, inquit, quibus hæc curæ sunt, seorsim per se, ubicumque ipsis libitum fuerit, in unum conveniant. Vid. Ill. de Marca lib. 2. cap. 5. 6.*

SCHOL. Bohmerus in observatione ad cap. 4. Petri de Marca lib. 2. cognitionem de causis fidei largitur, decisionem negat. Hanc Principi summo adjudicat. Qua in re nescio, an ipsi Augustanæ confessioni adhæreat: ita enim illa habet art. 7. *Quum igitur de jurisdictione Episcoporum quæritur, discerni debet imperium ab ecclesiastica jurisdictione. Porro secundum Evangelium, seu, ut loquuntur, de jure divino, nulla jurisdictio competit Episcopis ut Episcopis, hoc est, his quibus est commissum ministerium verbi et Sacramentorum, nisi remittere peccata. Item cognoscere doctrinam, et doctrinam ab Evangelio dissentientem rejicere, et impios, quorum est nota impietas, excludere à communione Ecclesie sine vi humana, sed verbo. Hic necessario et de jure divino debet eis Ecclesia præstare obedientiam, juxta illud: Qui vos audit, me audit. Quod si autem necessario et de jure divino Episcopis de doctrina cognoscentibus obedientia præstari debet, amabo, quid est, quod ad vim judicii decisivam præterea desiderare possis?*

(1) Lib. 6. cap. 7.

§. LX.

Sed in causis tantum ecclesiasticis.

Ex his porro testimoniis liquido constat, potestatem Ecclesie judicariam propriam illam atque, ut ajunt, essentialem non in causis profanis facinoribusque contra civiles leges perpetratis, sed in fidei ac morum ecclesiasticæque disciplinae controversiis dirimendis exerceri (§. XXXVIII.). Apertissime in hanc sententiam est Arcadii et Honorii AA. laudata nuper constitutio: *Quoties de religione agitur, Episcopos convenit judicare: ceteras vero causas, quæ ad ordinarios cognitores, vel ad usum publici juris pertinent, legibus oportet audiri. Quam repetens Valentinianus III. constat, ait, Episcopos et Presbyteros forum legibus non haberi: nec de aliis causis secundum Arcadii et Honorii divalia constituta::: præter religionem posse cognoscere. Religionis vero causam laxius nonnihil interpretatur constitutio Theodosii, ita, ut causas universim ecclesiasticas Episcopali judicio subjectas esse declaret. Continua lege sancimus, ait (1), nomen Episcoporum, vel eorum, qui Ecclesie necessitatibus serviunt, ne ad judicia sive ordinariorum, sive extraordinariorum judicum pertrahatur: habent illi judices suos, nec quidquam his publicis commune cum legibus, quantum ad causas tamen ecclesiasticas pertinet, quas decet episcopali auctoritate decidi. Quod omnino consentaneum est indoli principatus sacri atque exemplo Christi reprehendentis hominem, qui se rogabat, ut ad dividendam secum paternam hæreditatem fratrem compelleret (§. XXXVI.). Unde S. Bernardus: *Non monstrabunt, puto, inquit (2), ubi**

(1) Lib. 16. tit. 12. ad calcem Cod. Theod. leg. 3.

(2) Lib. 1. de cons. cap. 6.

aliquando quispiam Apostolorum iudex sederit hominum, aut divisor terminorum, aut distributor terrarum. Stetit denique lego Apostolos iudicandos, sedisse iudicantes non lego :: Ergo in criminibus, non in possessionibus potestas vestra: quoniam propter illa, et non propter has accepistis claves regni cælorum: prævaricatores utique exclusuri, non possessores :: Habent hæc infima et terrena iudices suos, Reges et Principes terræ. Quid fines alienos invaditis?

SCHOL. Multa Baronius in ann. ad ann. 57. n. 24. seqq. de iudiciaria Ecclesiæ potestate disputabat, et ut apparet, Paulum in I. Corinth. cap. VI. 4. ita capiendum statuebat, ut videatur omnino prohibuisse Christianis jus suum coram ethnico Magistratu prosequi: iussisse autem causas omnes, tametsi maxime civiles, ad Episcopum deferri, ejusque adquiescere sententiæ. Quam doctissimorum annalium ecclesiasticorum scriptoris interpretationem egregiam vocat vir clar. Placid. Fixmillner Exercit. 2. sect. 4. §. 44. not. censetque à mente Pauli quam longissime aberrasse Espenium, Basnagium, Bohmerum, qui eum textum intelligendum volebant de arbitrio, seu iudicibus litigantium communi compromisso electis, atque adeo publica nequaquam auctoritate præditis. Atqui hæc tamen communis est catholicorum, paucis demptis, loci istius interpretatio, quam nihil video, cur deserendam putemus. Audi enim D. Thomam in eum Apostoli locum: Sed videtur, inquit, esse contra id, quod dicitur I. Petri II. Subditi estote omni humanæ creaturæ propter Deum, sive Regi tanquam præcellenti, sive Ducibus tanquam ab eo missis. Pertinet enim ad auctoritatem Principis iudicare de subditis. Est ergo contra jus divinum prohibere, quod ejus iudicio non stetur, si sit infidelis. Sed dicendum, quod Apostolus non prohibet, quin fideles sub infidelibus Principibus constituti in eorum iudicio compareant, si vocentur; hoc enim esset contra subjectionem, quæ de

betur Principibus: sed prohibet, quod fideles non eligant voluntarie infidelium iudicium.

§. LXI.

Audientia Episcoporum.

Non repugnabo, si quis mature in Ecclesia invaluisse consuetudinem contendat, qua Christiani pacis quam iurgiorum amantiore oborta inter se dissidia Episcoporum arbitriis componenda committere sunt soliti. Sidonius Apollinarius persæpe consuetudinis istius meminit (1), et Synesius partem Episcopalis sui muneris non postremam id ipsum esse dicit (2). Ambrosius porro et Augustinus, quanta assiduitate audiendis fidelium controversiis componendisque vacaverint, ipsi de se testes sunt (3). Occasionem pio mōri præbuit prior Pauli ad Corinthios epistola, in qua Augustino auctore (4) Christianis omnibus præcipiebat, ut dissidiis, si qua nascerentur, dirimendis è suis potius arbitros eligerent, quam non sine quadam Christiani nominis prodicione foras gentilium fatigarent. Quod tandem officium ad Episcopos devolutum consuetudine, Constantinus edita lege confirmavit, permittens litigantibus, ut Sozomenus narrat (5), ut ad Episcoporum iudicium provocarent, si magistratus civiles rejicere vellent; eorum autem sententia rata esset, aliorumque iudicium sententiis prævaleret, perinde ac si ab ipso Imperatore data fuisset: utque, res ab Episcopis iudicatas Rectores provinciarum eorumque officiales executioni mandarent.

SCHOL. Exstat ad calcem Codicis Theodosiani lex,

- (1) Lib. 3. epist. 12. lib. 6. epist. 2. 4.
 (2) In epist. 105.
 (3) Ambros. epist. 24 August. epist. 213. alias 110.
 (4) De op. Monach. cap. 29
 (5) Lib. 1. cap. 9.

quam nonnulli pro hac ipsa lege habent, cujus Sozomenus et Eusebius quoque *de vita Constantini lib. 4. cap. 27.* meminerunt. Eam Seldenus genuinam credidit *de uxor. hebr. lib. 3. cap. 28.* quæ si sententia vera est, amplissima jam tum potestas Episcoporum in iudicandis causis fuerit, necesse est. Cautum enim in illa est, uti, *si quicumque litem habens sive possessor sive petitor erit, inter initia litis, vel decursis temporum curriculum, sive quum negotium peroratur, iudicium elegerit sacrosanctæ sedis Antistitis, illico sine aliqua dubitatione, etiam si alia pars refragatur, ad Episcopum cum sermone litigantium dirigatur.* Ea etiam probata est in Capitular. Reg. Franc. *lib. 6. cap. 366.* Refertur porro ab Ivone *part. 16. decret. cap. 312.* Gratiano *caus. 11. quest. 1. can. 35. et 36.* et tandem ab Innocentio III. velut à Theodosio edita, et à Carolo M. recepta *in cap. 13. de jud.* Sed validiora sunt Gothofredi argumenta, quam ut eam à Constantino perlatam fuisse credi possit. Bingham *orig. eccles. lib. 5. cap. 2. §. 3.* Espen *part. 3. jur. eccles. tit. 1. cap. 2.*

§. LXII.

Confirmata legibus.

Confirmarunt autem etiam ceteri deinde Imperatores; verum ita, ut appareat, nullam ad Episcopum civilem causam delatam fuisse, nisi quum litigantes sponte eum tamquam arbitrum elegissent. Declaravit hoc disertis verbis Honorius (1): *Si qui ex consensu apud sacræ legis Antistitem litigare voluerint, non vetabuntur; sed experientur illius in civili dumtaxat negotio more arbitri sponte residentis iudicium.* Et iterum (2): *Episcopale iudicium ratum sit omnibus, qui se audiri à Sa-*

(1) *Leg. 7. Cod. de Episc. aud.*(2) *Leg. 8. eod.*

cerdotibus elegerint, eamque illorum iudicationi adhibendam esse reverentiam decernit, quam vestris deferri necesse est potestatibus, à quibus non licet provocare. Per iudicum quoque officia, ne sit cassa episcopalis cognitio, definitioni exsecutio tribuatur. Nemo igitur ne quidem contra clericos coram Episcopo expeiri cogebatur. In quorum causis, quum circa medium quinti sæculi jurisdictionem suam plus æquo Episcopi extendere niterentur, *Valentinianus III. (1)* edita lege edixit: Episcopos potestatem non habere iudicandi ne quidem clericos, nisi ex consensu eorundem per modum arbitrii; neque enim dubium esse, quin nullum Episcopi forum habeant legibus constitutum (2). Primus omnium *Justinianus* fuit, qui fori quoddam privilegium Ecclesiæ ministris indulsit, quod arctis satis in principio limitibus circumscriptum eas procedente tempore vires accepit, ut ægre dignitatem suam potestatemque ipsi adeo *supremi Principes* tuerentur, præcipue ex quo invaluit *veteribus* toties improbata opinio, qui à sæculari transeunt ad statum clericorum, eo ipso à sæculari potestate eximi. Quam divini juris regulam *Paulus* ignoraverit necesse est, quando in epistola ad Romanos. *omnem animam potestatibus sublimioribus subditam esse* scribebat. *Chrysostomus* quoque ostendit, inquit, *quod ista imperentur omnibus et Sacerdotibus et monachis; non solum sæcularibus.* Id quod statim in ipso initio declarat, quum dicit *Omnis anima: etiamsi Apostolus, etiamsi Evangelista, sive Propheta, sive quisquis tandem fuerit. Neque enim pietatem subvertit ista subjectio.* *Homih. 23. in epist. ad Rom.*

SCHOL. Conf. *Fleurius diss. 7. ad Hist. eccles. Espen loc. cit. cap. 3. seqq.* Sunt, qui olim clericis omnino interdictum fuisse existimant adire iudices sæculares, idque canonibus sæpissime cautum esse. Nec ego diffi-

(1) *Novell. tit. 12. tom. 6. part. 2. Cod. Theod.*(2) *Fleurius diss. 7. ad Hist. eccles. §. 4.*

teor, Ecclesiam magis in ministris suis quam in ceteris fidelibus exegisse illam in litigando modestiam, quam Corinthiis tantopere commendabat Apostolus (Espan *loc. cit.*) tulisse tamen, modo id Episcopo consentiente fieret, certum est. Concilii Andegavensis Patres *can. 1.* ita habent: *Clericis non liceat inconsultis Sacerdotibus suis, id est, Episcopis, sæcularia judicia expetere.* Licebat igitur illis consultis: quod etiam ex concilii Agathensis *can. 32.* liquet: *Clericus ne quemquam præsumat apud sæcularem judicem, Episcopo non permitte, pulsare.* De actore enim clerico legendus est canon, non de reo, ut Gratianus *caus. 11. quest. 1. can. 17.* Addit canon: *Sed si (clericus) pulsatus fuerit (apud judicem sæcularem), respondeat, non proponat.* Quam Sirmondus lectionem genuinam esse probat ex *can. 11.* concilii Epaonensis, qui sic habet: *Sed si pulsati fuerint clerici, sequi ad sæculare iudicium non morentur.* Ex his discas, clerico quidem actori non licuisse sine adsensu Episcopi laicum in jus vocare ad sæcularem judicem, licuisse autem laico actori clericum etiam non obtenta venia. Quorum canonum ea videtur ratio fuisse, quod clericus liberæ suæ voluntati relictus est, utrum iudicio velit contendere, quam libertatem non habet, dum ipse convenitur. Sed non multo post etiam laicis interdictum est reum agere clericum in foro sæculari absque consensu Pontificis, ut ex Concilii Aurelianensis III. *can. 32.* et Aurelianensis IV. *can. 20.* constat. Conf. Franc. de Roye *instit. jur. can. lib. 3. tit. 4. §. 4. seqq.* Jan. à Costa *lib. 2. tit. 1. pag. 279.*

§. LXIII.

Tandem in propriam jurisdictionem abiit.

Sed et civilis in laicos iurisdictio multum subinde statutos à Patribus limites prætergressa est. Postea-

quam enim aucta primum per episcopalem audientiam (§. LXI.), imperantium deinde beneficio in veram ac propriam jurisdictionem abiisset (§. LXII.), usu demum et diuturna observantia Ecclesiæ plena immunitate acquisitam, non defuerunt juris quidem colores, quibus inducti ecclesiastici iudices potestatem in dies magis diminutum ibant. Nam ut de clericis nihil dicam, quorum à foro sæculari exemptionem (qua modeste Patres utebantur et ad modum publicis legibus constitutum) immoderate proferebant (1); ceterarum etiam, quæ laicos concernunt, causarum nullum plane genus est, cujus non potiore partem suæ cognitioni vindicabant. Cui abusui diversas, speciosas interdum, prætexebant rationes, peccati, quæ denuntiationem evangelicam peperit (2), jurisjurandi religionem firmandis rebus gestis adjectam (3), qualitatem personarum miserabilium (4), justitiam in foro sæculari vel protractam vel denegatam (5), nexum ecclesiasticæ causæ cum profana, aliaque his non absimilia, quibus effectum est, ut fori regnum omne diu penes Ecclesiam esset. Sed, ut fit, abusus querelis locum præbuit, causamque non iniquam investigandis stabilendisque remediis, quibus constituto fori utriusque æquo limite, et tranquillitati publicæ et dignitati civilium magistratuum utcumque consultum est.

SCHOL. De Germaniæ institutis vid. *Capitul. Cas. noviss. art. 14. §. 4. 5.* Faber *Staats-Canzley tom. 4. pag. 656. 696.* de Gallia et Belgio. Espan *loc. cit.*

- (1) Fleurius *diss. 4. in Hist. Eccles. §. 7.*
- (2) *Cap. 13. de jud.*
- (3) *Cap. 3. de foro comp. in 6.*
- (4) *Cap. 15. de foro comp.*
- (5) *Cap. 6. 10. 11. eod.*

§. LXIV.

Quæ sit jurisdictio Ecclesiæ interna.

Præter *externam* Ecclesiæ jurisdictionem, de qua actum est hactenus, alia est quam *internam* vocant, et in potestate remittendi retinendique peccata sita est, juxta illud *Servatoris* (1): *Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; et quorum retinueritis, retenta sunt.* Sed de hac Theologi.

SCHOL. Conf. vir. clar. Plac. Fixmillner *exercit.* 2. sect. 4. §. 51. pag. 132. seqq.

CAPUT VI.

DE POTESTATE ECCLESIAE.

COERCITIVA.

§. LXV.

Potestas coercitiva Ecclesiæ competit.

Jurisdictionis sacræ pars altera, quæ in coercendis delictis salutem Ecclesiæ lædentibus (§. VI.), corrigendisque pravorum moribus, aut in facinorosis penitus è Christianorum societate ejiciendis sita est, *potestatis coercitivæ* nomen habet. (§. LVI.) Constat vero duplici jure, poenas scilicet *decernendi*, et *exsequendi* decretas *remittendive*. Illud *jus puniendi*, hoc *jurisdictionem Ecclesiæ criminalem* vocant. Potestatem hanc in Ecclesia christiana non postremis demum sæculis, verum prima quoque et puriore, ut ajunt, ætate receptam fuisse,

(1) *Joann. XX. 22. 23.*

atque interdum exercitam, nemini hactenus, opinor, dubium fuit: adeo enim perspicua hujus rei exempla historia sacra prodidit memoriæ, ut in controversiam adduci nullo modo possit. Sed causa juris quæ sit, cui exercitium illius competat, quove in genere poenarum versetur, hæc sunt, de quibus varie acriterque disceptatum est.

SCHOL. Exercitæ potestatis varia eaque illustria exempla veterum temporum memoria suppeditat. Collegit complura ex Irenæo, Tertulliano, Cypriano, Eusebio, Theodoro ipse Pfaffius *orig. jur. can. pag. m. 122. seq.* quibus addi permulta possunt alia, si opus esset. Ceterum non hoc mihi nunc propositum est, ut universam Ecclesiæ disciplinam explicem, quam pro temporum diversitate aliam atque aliam in hoc capite obtinuisse satis constat omnibus. Quod moneo, ne sit argutus quisquam, qui in vitio ponat, si nihil hoc loco repererit eorum, quæ de *pœnæ ac censure* discrimine, hujusque variis speciebus acute magis quam vere scholastici disputant. Sciunt qui vetera norunt, nova hæc esse junioris ætatis inventa, enutrita in scholis, ex quibus in forum demum prolata sunt non sine insigni disciplinæ mutatione. Olim crimina etiam ad synodum delata non plectebantur, nisi in ordine ad sacramentalem absolutionem. Nullum ea ætate *fori externi* atque *interni* discrimen, neque alius illi, huic alius præficiabatur judex, qui delictis inquirendis coercendisque auctoritatem impenderet, quod Morinus *de administ. pœnitent. lib. 1. cap. 9. et 10.* probavit. Inventi hujus discriminis laus est propria sæculo duodecimo. Quo recepto semel probatoque, planum fuit eo delabi, ut quæ majores ad *correctionem* maxime *pœnitentiamque* injungebant graviorum etiam facinorum reis, hi per modum *pœnæ ad publicam vindictam*, pronuntiataque ex formula judiciorum sententia, infligerent executionique darent: quo ipso præcipua sinceræ disciplinæ ratio mi-